



Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

Resp. Datur peccatum verè & propriè dictum, ab Adamo per generationem transfusum, quo peccato constituuntur in se verè & propriè peccatores, Deo odibiles, indigni gratia sanctificante, digni æterna ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83594](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83594)

DISPUTATIO V.

De peccato originali.

ARTICULUS I.

An sit peccatum originale.

Nota 1. Peccatum originale est peccatum ab Adamo ut morali totius humani generis capite commissum, & per generationem transfusum in omnes ejus posteros, qui via naturali ab eo descendunt, excepta tamen B. Virgine, per speciale privilegium ab hac transfusione preservata, ut infra probabitur. Originale igitur & personale peccatum in hoc differunt, quod personale propria voluntate committatur; originale vero voluntate physice aliena, quamvis propria moraliter commissum fuerit. Originale autem dicitur, quia posteros Adams, secluso speciali privilegio, ab origine, hoc est, a primo animationis instanti maculat, & peccatores efficit, hoc est, odibiles Deo, & obnoxios æternæ damnationi, tanquam reos culpæ mortalis, quam, peccante primo parente, secundum moralem æstimationem commiserunt.

Nota 2. Pelagius, ut constat ex S. Augustino lib. de peccato originali, ex lib. 1. de peccat. mer. & remissi. & ex lib. de hæres. hæres. 88. originalis peccati existentiam negavit, & docuit, 1. Adamum peccato suo sibi soli nocuisse, non posteris. 2. Quod omnes, qui ex Adamo trahunt originem, moriantur, esse naturalem hominis conditionem, & ipsum Adamum, etiam si non peccasset, fuisse moriturum. 3. Homines nunc nasci, qualis conditus fuit Adamus, hoc est, ut ipse vult, sine virtute & vitio. 4. Tamen necessarium esse parvulis baptismum, non quidem ut peccatum aliquod eis remittatur, sed ut consequantur regnum Cælorum. Hos errores voce tenus damnavit in Synodo Palestina; postea enim à suis interrogatus, quare anathematizasset eos, qui dicerent, peccatum Adams posteris non nocuisse, & parvulos tales nasci, qualis Adamus fuisset ante peccatum, respondit se eos anathematizasse, quia Adams peccatum nocuit ejus posteris, non quidem propagatione, sed imitatione seu exemplo, quatenus omnes, qui postea peccaverunt, peccando illum imitati sunt, & quia parvuli nascuntur absque libero arbitrio, & legis seu præcepti incapaces sunt: cum è contra Adamus à primo instanti conditionis suæ, & arbitrii libertatem habuerit, & præcepti capax fuerit.

Nota 3. Postea Pelagiani, ut refert S. Augustinus lib. 4. contra duas epist. Pelagian. cap. 2. & 4. Catholicorum argumentis oppressi, ceperunt agnoscere Adamum non fuisse moriturum, si non peccasset, & post peccatum mortalem effectum, genuisse mortales filios. Unde confiteri ceperunt mortem corporis trahi ex Adamo per generationem, semper tamen negando mortem animæ seu peccatum ex eo trahi.

Nota 4. Cum Pelagio originale peccatum negarunt postea Albigenes, teste S. Antonino in Summa Theologica; Anabaptistæ, Sociniani, & Zuinglius. Eundem errorem Abailardo attribuit S. Bernardus in epist. 188. neque suspicionis omnis expertus est Erasmus, qui in annotat. ad c. 5. Rom. scripsit homines in Adamo peccasse imitatione; nec postea, cum Pelagianismi accusaretur, videtur se sufficienter purgasse. Porro Anabaptistæ planè sentiunt & loquuntur cum Pelagio, negantes peccatum, mortem & alia mala trahi: Zuinglius verò quandantenus ab eo discrepat: nam docet 1. ex Adams peccato ad ejus posteros derivari propensionem ad malum. 2. Propensionem hanc esse peccatum metonymicè, quatenus est effectus & causa peccati. 3. Peccatum originale in hac propensione consistere, proindeque peccatum originale non esse nisi improprie peccatum.

Nota 5. Pelagius erroris sui magistrum habuit Rufinum quendam natione Syrum, teste Mercatore in

Commonitorio, qui sub Anastasio Pontifice Romano venit, & Pelagium, ibi degentem, impietate sua imbuir, & per eum, cum per se non auderet, propagavit. Rufinus, eodem teste, in Cilicia præverat Theodorus Mopsuestenus, è cujus schola prodierunt multi novitatum studiosi.

RESPONSIO.

Datur peccatum verè & proprie dictum, ab Adamo per generationem transfusum in ejus posteros; quo peccato constituuntur in se verè & proprie peccatores, Deo odibiles, indigni gratia sanctificante, & digni æternæ damnatione. Est de fide.

Prob. 1. Ex Apostolo Rom. cap. 5. ubi sic loquitur: *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit*, per unum scilicet illum hominem, in quo omnes peccaverunt. Quibus verbis clarè docet Apostolus, 1. ex Adamo in omnes homines, qui ex illo naturaliter descendunt, peccatum per generationem derivari. 2. Omnes homines propter peccatum illud, quo verè & proprie peccatores constituuntur, morti obnoxios esse, aliisque hujus vitæ miseriis. 3. Et ita rem se habere, quia in Adamo peccante peccaverunt omnes.

Dnes. Peccatum in mundum intrasse per Adamum, quia cum peccavit Adamus, tunc peccatum cepit esse in mundo. Vel peccatum intrasse in mundum, non propagatione, sed imitatione. Vel Apostolum sumere peccatum improprie & metonymicè. Denique illud, *in quo peccaverunt*, non ad primum hominem, sed ad mortem referendum esse. **R. ad 1.** Hoc dici non posse, quia ante Adamum peccavit Eva, & ante Evam diabolus. Unde peccatum fuit in mundo, antequam peccaret Adamus. **Ad 2.** hoc esse falsum, Nam alioquin Apostolus dixisset: *Per duos homines*, non verò *per unum hominem*. Homines enim peccando, non solum Adamum, sed etiam Evam imitantur. **Ad 3.** Apostolum loqui de peccato, quod est causa mortis. At solum peccatum proprie dictum mortis causa est, juxta illud ejusdem Apostoli: *Stipendium peccati mors*. **Ad 4.** Homines non peccare, quia moriuntur; sed è contra mori, quia, Adamo peccante, peccaverunt.

Prob. 2. Autoritate summorum Pontificum, & Conciliorum. Nam Pelagii errorem damnarunt, 1. Innocentius I. in epist. ad Conc. Milevitanum. Zozimus in epist. ad Episcopos totius Orbis, cujus verba ad rem pertinentia recitat Augustinus epistol. 157. ad Opratum. Celestinus I. in epist. 1. ad Gallos cap. 12. Leo I. in epistol. 86. ad Nicetam Aquilejensem. Et Gregorius Magnus in lib. 7. epist. 53. ad Secundinum. 2. Synodus Palestina, à qua Pelagius compulsus est errorem suum damnare. Quod tamen nonnisi voce tenus præstitit. Synodus Carthagin. Episcoporum 68. celebrata anno 416. præside Aurelio Carthagin. Episcopo. Synodus Milevitana 61. Episcoporum, eodem ferme tempore. Synodus Constantinopolitana sub Attico, ex Mercatore c. 1. Common. Synodus Anthiochena sub Theodoro Antiochena Ecclesiæ Episcopo, ex eod. Mercat. cap. 3. Synodus Carthagin. plenaria sub Aurelio, anno 418. cujus sunt canones olim Milevitano Concilio attributi. Synodus Ephesina, ut patet ex ejus epist. ad Celestestinum I. Synodus Arausica 2. can. 2. Synodus Moguntina can. 5. Synodus Florentina in litteris unionis. Et Synodus Tridentina sess. 5. can. 2. ubi sic loquitur: *Si quis Ade prævaricationem sibi soli, & non ejus propagini asserit nocuisse, & acceptam à Deo sanctitatem & justitiam, quam perdidit, sibi soli, & non nobis etiam eam perdidisse; aut inquinatum illum per inobedientie peccatum, mortem & penas corporis tantum in omne genus humanum transfudisse, non autem & peccatum, quod est mors animæ: anathema sit; cum contradicat Apostolo dicenti: Per unum hominem, &c.* Quibus verbis ad verbum refert can. 2. Synodi Arausicanæ 2.

Pontificibus & Conciliis hic adjungi possunt Patres, qui ante exortam Pelagianam hæresim magno & unani-

unanimes consensu peccati originalis existentiam asseruerunt. Eorum testimonia legi possunt apud Bellarminum, & alios Doctores Catholicos. Scriptores Ecclesiasticos supra viginti, qui Pelagii errorem pradamnarunt, citat Bellarminus lib. 4. de amissione gratiae & statu peccati cap. 5.

Prob. 3. triplici ratione. Prima petitur à necessitate baptismi, in hunc modum. Non solum adulti, sed etiam parvuli indigent baptismi, ut pater 1. ex Scriptur. Nam Joan. c. 3. Christus dicit: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. 2. Ex perpetuo sensu & perpetua praxi Ecclesiae, quae semper voluit, infantes continuo baptizari, si de vita periclitentur: unde fideles in Ecclesia semper maximè solliciti fuere, ne quis sine adultus, sive parvulus, sine baptismi decederet. 3. Ex sensu Patrum, & definitionibus Conciliorum. Quid plura? Hujus propositionis veritatem ne ipsi quidem Pelagiani negare unquam ausi sunt. Ergo non solum adulti, sed etiam parvuli indigent effectu, propter quem baptismus à Christo institutus fuit: nam per se manifestum est illos non indigere baptismi, si non indigent effectu baptismi. Atqui effectus baptismi est remissio peccati, ut patet ex ipsa baptismi forma: Ego te baptizo, &c. Hoc est. Ego te lavo, &c. ego te mudo, &c. Unde Apostolus de baptismi loquens ait Ephel. c. 5. Mundans lavacro aque in verbo vitae. Et ad Titum c. 3. Per lavacrum regenerationis & renovationis. Hæc autem lotio seu mundatio, quæ est effectus baptismi, cum non sit foridum & macularum corporis, sed animæ lotio seu mundatio, non potest non esse peccati remissio: nam maculae & sordes animæ non sunt nisi peccata, à quibus mundatur, quando illorum veniam consequitur. Ergo non solum adulti, sed etiam parvuli indigent peccati remissione, & consequenter aliquod peccatum habent parvuli. Non autem habent nec habere possunt personale. Superest igitur, ut originale habeant.

Respondent Pelagiani parvulos baptizandos esse, non ut remittatur illis peccatum aliquod, & vitam æternam consequi possint, cum illis utpote innocentibus debeat, & re ipsa retribuenda sit, etiam si moriantur sine baptismi; sed ut regnum Cælorum ingrediantur, quia solis baptizatis hujus regni ingressus patebit, juxta verbum Christi: Nisi quis renatus fuerit, &c. Hoc Pelagianorum effugium refert S. Augustinus serm. 14. de verbis Apostoli. Cum dicunt, inquit, non esse baptizandos (parvulos) salutis & vite æternæ percipiendæ causâ, sed tantummodo regni cælorum, & regni Dei; baptizandos quidem fatentur, sed non propter vitam æternam, sed propter regnum Cælorum. Quid de vita æternâ? Habebunt, inquit; quare habebunt? quia nullum peccatum habent, & ad damnationem pertinere non possunt. Hanc autem hæreticorum evasionem refutat S. Doctor, prosequendo sic: Ergo est æterna vita extra regnum Cælorum? Primus hic error averfandus ab auribus, extirpandus à mentibus. Hoc novum in Ecclesia prius inauditum est, esse vitam æternam præter regnum Cælorum, esse salutem æternam præter regnum Dei. Ex quibus verbis sic argumentor. Non est alia salus, vel vita æterna præter regnum Cælorum, præter regnum Dei. Contrarium enim nunquam in Ecclesia auditum fuit, antequam oriretur Pelagiana pravitas, & consequenter novitas est, averfanda ab auribus, & extirpanda à mentibus. Atqui, ut hæretici fatentur, parvuli baptizantur propter regnum cælorum, propter regnum Dei, in quod scilicet introire non possunt sine baptismi. Ergo baptizantur propter salutem seu vitam æternam, quam proinde non possunt consequi, nisi baptizentur. Ergo si moriantur sine baptismi, excluduntur à salute & vita æternâ, atque ita, nisi baptizentur, damnationi æternæ sunt obnoxii. Ergo habent peccatum aliquod, propter quod, nisi baptizentur, obnoxii sunt æternæ damnationi: nam qui nullum habet peccatum, ad damnationem pertinere non potest. Ergo habent peccatum originale: personale enim habere non possunt. Ergo baptizantur, ut per baptis-

Simonnei Theol. Tom. I.

mum mundentur à peccato, quod non propria, sed primi parentis voluntate commiserunt, & quo originaliter inficiuntur, ut mundati salutem & vitam æternam consequi possint; alioquin ab ea excludendi, & æternæ damnationi addicendi, si absque baptismo decederent.

Confirmatur doctrina hæcenus tradita. Qui negat parvulos, recens natos, aut baptizandos esse, aut habere peccatum aliquod, propter quod baptismi indigent, & quod eis per baptismum dimittitur, contradicit Apostolo dicenti: Per unum hominem peccatum intravit in mundum, &c. Et constanti ac perpetuo universæ Ecclesiae sensui. Ergo omni Catholico circa parvulos recens natos, duo confitenda sunt, nempe & baptismum eis esse necessarium, & necessarium esse, quia habent peccatum aliquod, à quo, nisi per baptismum mundentur, in æternum perituri sunt. Peccatum autem illud aliud esse non potest, quam originale peccatum, ad cuius remissionem Christus baptismum instituit, & per quod omnes nascimur peccatores, & rei damnationis æternæ, quam ne incurant parvuli, etiam ante adultam ætatem morientes, baptizantur, ut baptizati, & per baptismum abluti, consequantur salutem & vitam æternam. Male igitur negabant Pelagiani parvulos nasci peccatores, & baptismi indigere ad peccati remissionem & salutem, ac vitam æternam consequendam. Hoc argumentum suggerit Synodus Carthagen. plenaria can. 2. ubi sic ait: Item placuit, ut quicumque parvulos, recentes ab uteris matrum, baptizandos negat, aut dicit in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati; quod regenerationis lavacro expietur: unde sit consequens, ut in eis forma baptismatis in remissionem peccatorum, non vera, sed falsa intelligatur, anathema sit. Quoniam non aliter intelligendum, quod ait Apostolus, Per unum hominem... nisi quemadmodum Ecclesia Catholica ubique diffusa semper intellexit. Hunc porro canonem ad verbum repetit Synodus Trident. sess. 5. can. 4.

Secunda ratio petitur ex caeremoniis, quæ etiam in baptismi parvulorum recens natorum adhibentur. Exorcismus & exsufflatio, quibus immundus spiritus à parvulis baptizandis abigitur, sunt caeremoniæ antiquissimæ, & in Ecclesia universa semper usurpatæ; ita ut eas nec negare nec reprehendere ausi fuerint Pelagiani, ut testatur S. Augustinus lib. 6. contra Julianum cap. 2. Id tu, inquit, commemorare timuisti, tanquam ipse ab Orbe toto exsufflandus esses, si huic exsufflationi, qua Princeps mundi à parvulis ejicitur foras, contradicere voluisses. Ergo semper Ecclesia universa sensit parvulos ante baptismum esse sub potestate demonis. Ergo & semper sensit illos habere peccatum aliquod ante baptismum, propter quod essent sub potestate demonis: non enim servi demonis efficiuntur, nisi per peccatum. Atqui peccatum illud, quod universa semper Ecclesia agnovit in parvulis nondum baptizatis, non potest esse nisi peccatum originale, hoc est, peccatum ex origine contractum. Ergo juxta perpetuum & constantem universæ Ecclesiae sensum, parvuli nascuntur cum peccato originali; & ita peccatum originale negari non potest, nisi contra perpetuum & constantem sensum Ecclesiae universæ.

Porro quod exorcismus & exsufflatio ante baptismum parvulorum adhibeantur ad expellendum demonem, docet Celestinus in 1. epist. ad Gallos c. 12. Illud, inquit, quod circa baptizandos in universo Mundo sancta Ecclesia uniformiter agit, non otiose contemplatur intuitus, cum sive parvuli sive juvenes ad regenerationis veniunt sacramentum, non prius fontem vite adeunt, quam exorcismis & exsufflationibus Clericorum spiritus ab eis immundus abigatur: ut tunc verè appareat, quomodo princeps mundi hujus mittatur foras, & quomodo prius alligetur fortis, & deinceps vasa ejus diripiantur in possessionem transfata victoris, qui captivam ducit captivitatem, & dat dona hominibus.

Prob. Etiam hac ratione, qua utitur S. Augustinus

Ec 3

lib. 2.

lib. 2. operis imperfecti. Antequam parvulus baptizetur, vel exorcizatur & exsufflatur demon, ut abigatur a parvulo; vel exorcizatur & exsufflatur ipsa Dei creatura, quæ est Dei imago. Secundum dici non potest sine magna injuria Creatoris. Ergo primum dici debet. Propter hoc & infantes, inquit S. Doctor n. 181, cum baptizantur, eruantur de potestate tenebrarum; alioquin cum magna injuria Dei, sicut jam diximus, & sæpe dicendum est, exorcizatur & exsufflatur imago Dei, si non ibi ille exorcizatur & exsufflatur princeps mundi, qui mittitur foras, ut sit illis habitatio Spiritus sancti.

Tertia ratio petitur à redemptione Christi. Christus salvator & redemptor est etiam parvulorum recens natorum, eoique re ipsa salvat & redimit per baptismum, quo parvulis recens natis applicat meritum passionis & mortis suæ. Ergo etiam parvuli recens nati indigent salvatore & redemptore: Christus enim non est salvator & redemptor, nisi eorum qui salvatore & redemptore indigent. Ergo parvuli recens nati habent originale agnitionem peccati, & nascuntur venundati sub peccato: alioqui neque salvatore neque redemptore indigent. Sic argumentatur S. August. lib. 1. de peccat. mer. & remis. cap. 23. Quis audeat dicere, inquit, non esse Christum infantium salvatorem, nec redemptorem? Unde autem salvos facit, si nulla in eis est originalis agnitione peccati? Unde redimit, si non sunt per originem primi hominis venundati sub peccato?

Confr. Christus non solum pro adultis, sed etiam pro parvulis mortuus est. Nam ut dicit Apostolus 2. Cor. c. 5. Pro omnibus mortuus est Christus. Et 1. ad Timoth. c. 2. Dedit redemptionem semetipsum pro omnibus. Præterea, ipsimet Pelagiani confitebantur Christum mortuum esse etiam pro parvulis, quamquam inde malè colligebant Christum non pro solis peccatoribus, sed etiam pro iis, qui nunquam peccaverunt, mortuum esse. Unde contra illos sic subsumo. Atqui Christus pro solis peccatoribus mortuus est. Nam 1. Scriptura expresse dicit Christum mortuum esse pro impiis & injustis, ut Rom. cap. 5. Christus ... secundum tempus pro impiis mortuus est. Et 1. Petri cap. 3. Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, justus pro injustis. Nec alibi dicit, vel leviter insinuat, pro non peccatoribus mortuum esse. 2. Apostolus 2. Cor. cap. 5. probat omnes mortuos esse ex eo, quod Christus pro omnibus mortuus est. Si unus, inquit, pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt. In qua illatione manifestè supponit Christum mortuum non esse, nisi pro mortuis; proindeque non esse mortuum, nisi pro peccatoribus; loquitur enim de morte, non corporis, sed animæ, ut patet ex verbis subsequenter: Et pro omnibus mortuus est Christus, ut & qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit. Mors autem animæ peccatum est. Ergo parvuli sunt peccatores. Non sunt autem, nec possunt esse peccatores propter peccatum personale. Superest igitur ut peccatores sint propter originale peccatum, propter quod nascuntur privati originali justitia, odibiles Deo, & rei damnationis æternæ.

Sic argumentatur S. Augustin. lib. 6. cont. Julian. c. 4. Nunquam, inquit, legis in divinis autoritatibus mortuum scilicet esse Christum, etiam pro eis qui nullum habuerunt omnino peccatum... Unus, inquit Apostolus, pro omnibus mortuus est, ostendens fieri non potuisse, ut moreretur nisi pro mortuis: ex hoc enim probavit omnes mortuos esse, quia pro omnibus mortuus est unus... Quia ergo non in corpore, restat ut in peccato esse mortuos omnes, si pro omnibus Christus mortuus, nemo neget, nemo dubitet, qui se non negat aut dubitat esse Christianum. Quapropter si nullum trahunt peccatum parvuli, non sunt mortui; si non sunt mortui, non est mortuus pro eis, qui non est mortuus nisi pro mortuis. Tu autem jam in primo tuo libro contra nos clamans, dixisti Christum etiam pro parvulis mortuum; nullo modo igitur negare permittis eos trahere originale peccatum. Qui-

bus verbis duo hæc argumenta peremptoria continentur. 1. Christus non est mortuus, nisi pro mortuis in peccato. Atqui tamen pro omnibus mortuus est. Ergo omnes, ac proinde & ipsi parvuli, in peccato mortui sunt. 2. Christus non est mortuus, nisi pro mortuis in peccato. Atqui ipsimet Pelagiani confitentur Christum mortuum esse, etiam pro parvulis. Ergo parvulos in peccato mortuos esse diffiteri non possunt.

Solvuntur objectiones petite ab autoritate Scripturæ.

Obj. 1. Ezechielis c. 18. dicitur: Filius non portabit iniquitatem patris. Sed si daretur peccatum originale, filius portaret iniquitatem patris. 2. Rom. c. 5. dicitur: Per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi. Ergo homines non propagatione, sed imitatione peccatores constituti sunt per Adami inobedientiam; alioquin Apostolus non diceret, multi, sed, omnes. 3. Dicitur 2. Cor. c. 5. Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum. Ergo nemo punietur, nisi propter peccata personalia, & consequenter peccatum originale nullum est. 4. Rom. c. 4. legitur: Lex itam operatur: ubi enim non est lex, nec prævaricatio. Atqui parvuli sunt incapaces legis. Ergo & prævaricationis, proindeque ante usum rationis nullum peccatum habere possunt. 5. Legitur adhuc Rom. c. 5. Regnavit mors ab Adam usque ad Moysen, etiam in eos qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ. Ergo sola mors, non verò peccatum, ab Adamo trahitur.

R. ad 1. Homines non baptizatos, non alienam, sed propriam portare iniquitatem: peccatum enim originale, quamvis ab Adamo sit, non est tamen Adami peccatum, sed nostrum, & unicuique proprium atque intrinsecum. Et verò quantum ad materiale, etiam physicè; quantum ad formale, moraliter & æquivalenter multiplex est, & totuplex, quot sunt qui per viam naturalem ab Adamo descendunt, ut patebit ex infra dicendis.

Resp. ad 2. Apostolum eodem illo capite dicere, & omnes & multos, quia & omnes peccatores constituti sunt per inobedientiam Adami, & illi omnes re vera multi sunt: sicut alibi Scriptura dicit, in semine Abraham benedicendas omnes gentes, & Abraham multarum gentium patrem positum esse; quia & omnes gentes re ipsa benedicendæ erant in semine Abraham, & omnes illæ gentes, in semine Abraham benedicendæ, multæ sunt. Nam, quod notandum est, aliqua sunt omnia, quæ non sunt multa, & vicissim, aliqua sunt multa, quæ non sunt omnia. Sic omnia dicimus Evangelia, & tamen non sunt multa, cum quaternario numero contineantur. Item dicimus multos in Christum credere, & tamen non omnes credunt. Hic verò, quantum attinet ad peccatum originale, & omnes multi sunt, & multi omnes sunt. Mirum igitur videri non debet, quod Scriptura modò omnes, modò multos dicat peccatum illud contrahere; utrumque enim æquè dici potest: neque cum dicit omnes, negare multos, aut cum dicit multos, negare omnes, censeri potest. Sic responderet S. Augustinus lib. 6. contra Julian. c. 24. Est autem, inquit, sanus intellectus, ideo sic locutam Scripturam, quia possunt esse aliqua omnia, quæ non sunt multa: sicut omnia dicimus Evangelia, & tamen brevi numero, idest, quaternario continentur; & rursus possunt aliqua esse multa, non tamen omnia: sicut multos dicimus credere in Christum, nec tamen omnes credunt. Non enim omnium est fides, ait Apostolus. Quod autem dictum est: In semine tuo benedicentur omnes gentes, & Patrem multarum gentium posui te, easdem omnes, multas, & easdem multas, omnes esse monstratum est. Ita etiam, cum dictum est, per unum in omnes transisse peccatum, & postea, per unius inobedientiam peccatores constitutos multos, ipsi sunt multi, qui & omnes.

Resp.

Resp. ad 3. Apostolum ibi loqui de adultis baptizatis, ad quos sermonem suum toto illo capite dirigit. Ideo contendimus, inquit, *sive absentes, sive praesentes placere illi.* Omnes enim nos manifestari oportet, &c. *Scientes ergo timorem Dei, hominibus suademus, &c.* Respondet S. Augustinus, lib. 6. contra Julian. cap. 10. parvulos ante tribunal Christi vel manifestatum iri, vel non. Si secundum, eò quòd Apostolus de adultis tantum loquatur, hanc Apostoli sententiam ad parvulos non pertinere, & sic ex illa non probari peccatum originale non esse in parvulis. Si primum, parvulos non baptizatos reportaturos esse damnationem propter peccatum, quod per alium commiserunt: sicut parvuli baptizati vitam aeternam & celestem gloriam reportaturi sunt propter meritum fidei, quam per alios, nempe paternos, exercuerunt. Sicut itaque parvulis regeneratis prodest, quòd, dum baptizarentur, per alios crediderint, & idcirco inter fideles & iustos à Christo recensentur; ita parvulis non regeneratis obesse, quòd per alium fidem & iustitiam amiserint, & idcirco inter infideles & iniustos à Christo numerari, mirum videri non debet. Per illud autem Apostoli, *propria corporis*, debet intelligi illud omne, sive meritum sive demeritum sit, quod unusquisque jam in se vivens habet, sive per se, seu propria voluntate, sive per alium, seu voluntate aliena habeat: *Propria corporis sui dixit, quod ad unumquemque in se ipso jam viventem pertinet*, inquit S. Doctor.

Resp. ad 4. Parvulos non esse quidem capaces legis, quam voluntate propria pravaricari possint, & ita non esse capaces pravaricationis, propria voluntate commissae. At capaces sunt legis, quam pravaricari potuerint, & pravaricati sint voluntate primi parentis; proindeque capaces, & re ipsa rei sunt pravaricationis, voluntate primi parentis commissae, qua pravaricatione habitualiter maculantur, & peccatores ac iniusti constituuntur à primo instanti animationis. Unde dicuntur habere, & re ipsa habent peccatum originale.

Resp. ad 5. Neg. conseq. & dico Apostolum hoc loco nihil aliud velle, quam peccatum fuisse in mundo, & ita homines fuisse peccatores etiam ante legem Mosaicam; quamvis ante legem Mosaicam peccatum, ut est offensa Dei, non tam perfecte cognosceretur, quam cognitum est, postquam lex illa fuit lata. Hoc autem probat ex morte, quae est poena peccati, & quam dicit regnasse ab Adamo usque ad Moysen. Unde perinde est ac si Apostolus diceret: Mors regnavit non solum post legem Mosaicam, sed etiam ante. Ergo peccatum fuit in Mundo, non solum post legem Mosaicam, sed etiam ante: licet ante non haberent homines tam plenam & perfectam cognitionem legis divinae, & ita non possent peccare in similitudinem pravaricationis Adae, hoc est, non possent peccare cum plena & perfecta cognitione peccati, qualem habuit Adamus, cum legem divinam pravaricatus est. Ergo omnes homines sunt peccatores; quamquam à tempore legis Mosaicae gravius peccent, quam peccarint ante legem Mosaicam; & ita peccantes à tempore legis Mosaicae, gravius poenis digni sint, quam qui ante legem Mosaicam peccarunt, & tamen peccando gravem poenam meruerunt, ut patet ex morte, quae illo etiam tempore regnavit in poenam peccatorum quae tunc admittebantur. Nam, *stipendia peccati, mors.*

Solvuntur objectiones petite ex ratione.

Obj. 1. Peccatum definitur factum, vel dictum, vel concupitum contra legem Dei. Atqui infantes nec facere, nec dicere, nec concupiscere possunt contra legem Dei. Ergo peccatum habere non possunt. R. Infantes non posse quidem voluntate propria facere, vel dicere, vel concupiscere contra legem Dei, & ita illos habere non posse peccatum personale, quia peccatum personale propria voluntate committitur. At potuerunt, etiam antequam essent, facere, vel dicere, vel concupiscere contra legem Dei

Simonnet Theol. Tom. I.

voluntate alterius, quae moraliter seu secundum moralem aestimationem esset eorum voluntas: ita ut secundum aestimationem moralem, illi censerentur facere circa legem Dei quod alter faceret, ac proinde legem Dei adimplere vel transgredi, prout alter adimpleret vel transgrediretur. Possunt ergo habere peccatum voluntate alterius commissum, & ab eo maculari ubi primum incipiunt esse, seu à primo instanti conceptionis. Quod est posse habere peccatum originale.

Dices. Ubi nullus est usus libertatis, ibi nullum potest esse peccatum, quia ibi nulla potest esse culpabilis transgressio. Atqui infantes nullum habent usum libertatis. Ergo, &c. R. Ibi nullum esse peccatum, voluntate propria commissum, & personale, ubi nullus est usus libertatis. At potest ibi esse peccatum, commissum voluntate alterius, si voluntas alterius fuit propria secundum moralem aestimationem. Voluntas autem alterius, nempe Adam, potius esse, & fuit propria infantum secundum moralem aestimationem in ordine ad transgressionem, sicut & ad observationem praecepti de non comedendo certo fructu. Ergo potest esse in infantibus peccatum, voluntate Adam commissum, & re ipsa tale peccatum est in infantibus; cum re ipsa Adamus praeceptum illud, ipsi & in ejus persona toti ejus posteritati impositum, transgressus fuerit. Infantes igitur nullum habent, aut habere possunt peccatum personale, quia nullum habent aut habere possunt usum physicum libertatis. At habere possunt & habent peccatum originale, quia antequam essent, habere potuerunt, & habuerunt usum libertatis moralem in voluntate primi parentis, eò quòd voluntas primi parentis potuit esse moraliter voluntas eorum omnium, qui ab eo seminaliter descensuri erant, ut re ipsa fuit relatè, non quidem ad quilibet, sed ad praeceptum de non comedendo certo fructu. Unde factum est, ut Adamo praeceptum illud transgrediente, omnes qui ab eo seminaliter erant descensuri, secundum moralem aestimationem censerentur Deum graviter offendere, essentque re ipsa propter gravem illam offensam, secluso speciali Dei beneficio, futuri à primo instanti conceptionis odibiles Deo, & rei damnationis aeternae.

Obj. 2. Peccatum illud, quod originale dicitur, remissum fuit Adamo, antequam filios generaret. Ergo non potuit illud transfundere in posteros. R. Peccatum illud fuisse remissum Adamo, quia fuit peccatum ipsius, non quia erat peccatum posterorum ejus. Pro quo *Nota.* Peccatum illud, quod commisit Adamus ut caput morale generis humani, ita fuit unicum physicè, ut fuerit moraliter & aequivalenter multiplex, & totuplex, quot erant homines ab Adamo per viam naturalem descensuri. Unde condonari potuit, ut erat peccatum Adam, absque eo quòd condonaretur, ut erat peccatum posterorum ejus; & similiter nunc condonari potest, prout est peccatum unius hominis, absque eo quòd condonetur, prout est peccatum alterius. Adamus igitur, quamvis justificatus, potuit, & nunc parentes, quantumvis fideles, iusti & sancti, possunt generare & generant filios peccatores, seu filios odio Dei & aeternae damnationi obnoxios, propter peccatum illud commune omnibus hominibus, quod humanum genus in Adamo, tanquam in capite suo morali commisit, & quod, quia moraliter ac aequivalenter multiplex est, & totuplex, quot sunt humani generis supposita, quando uni dimittitur, non idcirco alteri dimittitur, proindeque quando dimittitur parentibus, non idcirco dimittitur filiis, qui ex eis nascituri sunt, & ita ad parentum fidelium & iustorum filios perinde pertinet, eosque perinde maculat, ac si nascerentur ex parentibus infidelibus, & quibus nondum esset dimissum.

Obj. 3. Si daretur peccatum, quod generatione traheretur, esset vitium naturale. Absurdum conf. Nam si peccatum aliquod esset vitium naturale, peccatum aliquod attribuendum esset Deo, tanquam authori; cum Deus sit author omnium naturalium. Ergo, &c. *Resp.* Peccatum illud, quod dicimus trahi per

Ec 4

genera-

generationem, esse vitium naturale, hoc sensu quod omni homini seminaliter ab Adamo descendenti, insit à primo instanti conceptionis, & quod cum eo nascantur omnes Adami posterii, seculo, quod semper subintelligendum est, speciali beneficio Dei, ab huius peccati macula misericorditer præservantis. Omnes autem Adami posterii cum hoc peccato nascuntur, non quia est pars naturæ, aut fuit à naturæ velut proprietas; sed quia, Adamus peccavit, & eo peccante, omnes ejus posterii, secundum moralem æstimationem, peccarunt eodem illo actu, quo peccavit; unde consequens est, ut peccato illo, ubi primum possunt, ac proinde à primo instanti animationis, inficiantur, & eo infecti nascantur. Peccatum igitur, quod per generationem trahitur, non Deo, sed Adamo, tanquam auctori, tribuendum est.

Obj. 4. Si peccatum aliquod per generationem traheretur, conjugium esset malum, & usus ejus illicitus. Absurdum conf. Ergo, &c. *Prob. seq. maj.* Quia tunc conjugium esset causa peccati. *Res. neg. seq. maj.* & *prob. ejus.* Nam causa peccati, quod per generationem trahitur, non est alia, quam voluntas Adami, quæ voluntas secundum moralem æstimationem communis omnium hominum ab Adamo seminaliter descendit: nam quia, quæ talis, peccavit, homines qui per viam naturalem descendunt ab eo, concipiuntur & nascuntur in peccato.

Dices. Ex usu conjugii sequitur peccatum originale. Ergo peccatum originale est effectus illius. *R. dist. ant.* Peccatum originale sequitur per se ex usu conjugii. *Neg. ant.* Nam in statu innocentie fuisset usus conjugii, & tamen non fuisset peccatum originale. Sequitur per accidens, *C. ant.* Nam respectu conjugii & usus illius, per accidens est, quod qui ex eo generantur, & ita per viam naturalem descendunt ab Adamo, in illo peccante peccarint, & quia in illo peccante peccarunt, concipiuntur & nascuntur peccatores; sive, quod idem est, respectu conjugii & usus illius, per accidens est, quod peccatum ab Adamo, ut morali generis humani capite, commissum, fuerit moraliter peccatum eorum omnium, qui per usum conjugii generandi erant, & hoc pacto per viam naturalem ab Adamo descendunt, atque ita peccato illius à primo conceptionis instanti inficiendi, & infecti nascuntur.

Peccatum igitur originale attribuendum est Adamo, tanquam cause; conjugio verò & usui illius, solum tanquam ponenti per accidens conditionem aliquam, sine qua, qui concipiuntur & nascuntur in peccato, non sic conciperentur & nascerentur; quia Adamus relatè ad præceptum de non comedendo fructu arboris scientiæ boni & mali, illos tantum representavit, & ita pro illis tantum peccavit, qui ab eo per viam naturalem descendunt, & consequenter per usum conjugii generandi erant. Quod non reddit conjugium malum, nec ejus usum illicitum: hoc enim non privat homines jure naturali quod habent matrimonium contrahendi. Imò verò decretum, quo Deus voluit Adamum eos omnes qui ab eo descendunt erant per usum conjugii, representare relatè ad præceptum de non comedendo fructu, ita ut illi censerentur hoc præceptum servare vel transgredi, prout Adamus servaret vel transgrediretur, manifestè supponebat conjugium fore bonum, & usum ejus licitum, etiam ex hypothesi quod Adamus præceptum transgressurus esset, & transgrediendo admissurus peccatum, quod infecturum esset totum genus humanum.

Obj. 5. Non est potior ratio, cur trahamus peccatum ab Adamo, quam ab Eva. Non trahimus ab Eva. Ergo nec ab Adamo. *Resp. neg. maj.* Igitur peccatum originale trahimus à solo Adamo, non ab Eva, quia solus Adamus, non Eva, fuit caput morale generis humani, & solus humani generis personam sustinuit. Hinc sola Eva peccante, non fuisset, & solo Adamo peccante, fuisset peccatum originale. Hinc nullum fuisset peccatum originale, privatis parentibus

peccantibus, si Adamus non peccasset, comedendo fructum vetitum. Eccl. tamen cap. 25. dicitur: *A muliere initium factum est peccati, & per illam omnes morimur*; quia Eva ad peccandum induxit Adamum, in quo peccante omnes peccavimus, & peccando facti sumus rei mortis. Dixi autem, comedendo fructum vetitum: quia solum illud primum peccatum, quo Adamus transgressus est præceptum de non comedendo fructu, fuit, aut potuit esse peccatum posterorum ejus, quia solum illud præceptum impositum fuit, in persona Adami, iis qui ab Adamo seminaliter erant descendendi; & ita voluntas Adami non fuit secundum moralem æstimationem voluntas eorum qui ab eo seminaliter erant descendendi, nisi in ordine ad transgressionem, sicut & ad observationem præcepti de non comedendo fructu. Igitur præter huius præcepti transgressionem nulla alia transgressio Adami fuit aut potuit esse secundum moralem æstimationem posterorum ejus transgressio.

Solvuntur objectiones petite ab autoritate Patrum.

Obj. 1. Clementem Alexandrinum, qui lib. 3. Stomatium sub finem sic loquitur: *Dicant ergo nobis, ubi fornicatus est infans natus, vel quomodo sub Ade cecidit execrationem, qui nihil operatus est?* Responder Bellarminus, 1. non constare, cujus hæc sint verba, ipsius Clementis, an hæreticorum, quibuscum Clemens disputat in hoc Stomate. 2. Probabile esse, verbis illis contineri objectionem Julii Cassiani, & aliorum hæreticorum, qui generationem malam esse docebant, & idcirco damnabant nuptias. Illi enim ex hoc S. Job testimonio: *Nemo mundus a sorde, nec si sit infans unius diei*, sic argumentabantur. Infantes nascuntur immundi & peccatores. Non propter malam aliquam actionem, quam ipsi fecerint. Ergo propter malam generationem. Ergo generatio mala est, & nuptiæ illicitæ. Nam sic continuò subjicit Clemens: *Restat ergo eis, ut videtur, consequenter ut dicant malam esse generationem, non solum eam, quæ est corporis, sed etiam eam, quæ est animæ.*

Displicet hæc Bellarmini responsio recentioribus nonnullis, qui verba in objectionem citata volunt esse ipsius Clementis, non hæreticorum illorum, qui docebant illicitas esse nuptias, & generationem malam; adduntque verbis illis Clementem nihil aliud velle, quam infantes non cadere sub execrationem Adæ vi generationis per se & ex natura sua malæ, sed aliam ob causam, nempe quia peccatum Adæ fuit secundum moralem æstimationem peccatum illorum. At hæc responsio non videtur priore melior. Nam hæretici, contra quos disputat Clemens, ut probarent nuptias esse illicitas & generationem malam, ex variis Scripturæ textibus efficiebant infantes nasci immundos & peccatores, proindeque malam esse generationem, cum ex ea homines immundi & peccatores procreentur; quare si Clementis sunt hæc verba omnia: *Dicant ergo nobis, ubi fornicatus est infans natus, vel quomodo sub Ade cecidit execrationem, qui nihil est operatus?* Restat ergo eis, ut videtur, consequenter ut dicant malam esse generationem, non solum eam quæ est corporis, sed etiam eam quæ est animæ, propter quam etiam corpus; vix exculari posse videtur: videtur enim sic ad refellendos adversarios ratiocinari. Si infans peccator nascitur, vel quia propria aliqua actione peccavit, vel quia sub Adæ execrationem cecidit. Neutrum potest dici. Non primum: nam ubi fornicatus est infans, aut quid aliud simile fecit? Non etiam secundum: nihil enim operatus est, quo mereretur sub illam execrationem cadere. Neque respondere possunt infantem sub illam execrationem cadere propter generationem corporis: nam si cadit propter generationem corporis, cadit etiam & maxime propter generationem animæ, ad quam ordinatur generatio corporis; proindeque non solum generatio corporis mala est, sed etiam generatio animæ. Quod secundum repugnat.

repugnat adversariorum principiis: volunt enim animam esse à bono Deo, & consequenter generationem illius esse bonam. Itaque si verba in objectione allegata, sunt Clementis, vix ac ne vix quidem cum aliquali verisimilitudine dici posse videtur, hoc loco non impugnasse existentiam peccati originalis, quæ velut principio utebantur hæretici contra quos scribit, ad probandum nuptias esse malas, & malam esse generationem corporis, quod dicebant malum esse, & à malo principio proficisci.

Hoc autem confirmari potest ex eo, quod ibidem Clemens elevet Scripturæ textus, quibus peccatum originale probatur, & velle videatur, infantes nasci immundos immunditia tantum habitualis concupiscentiæ, non immunditia peccati propriè dicti. Itaque difficilis est hic locus Clementis, qui tamen aliunde probari potest, agnovisse peccatum originale. Nam lib. 1. Pedagogi cap. 6. sic ait: *Statim itaque regenerati recipimus perfectionem. Multis autem modis vocatur hoc opus, gratia, illuminatio, profectum & lavacrum. Lavacrum quidem, per quod peccata abstergimus, &c.* Agnovit igitur baptismum esse sacramentum, quo, qui baptizantur, regenerantur, hoc est, secundam generationem accipiunt, spirituales scilicet, quæ sic per transitum à statu peccati & injustitiæ, ad statum gratiæ & justitiæ: unde consequenter dicit baptismum esse lavacrum, in quo, qui baptizantur, mundantur à peccatis. Agnovit igitur baptismum à Christo fuisse institutum ad remissionem peccati, ac proinde parvulus, pro quibus etiam, & non tantum pro adultis, institutum fuisse non ignoravit, peccatum habere. Præterea, lib. 4. Strom. sub finem sic loquitur: *Tales (hoc est, omnis peccati expertes) nos esse vult, quales etiam genuit ex matrice aque (cum adhuc essemus parvuli,) generatio enim excipiens generationem, vult immortales reddere per profectum; hoc est, generatio spiritualis per baptismum continuò subsequens generationem carnalem, vulg., &c.* Unde apparet eum loqui de baptismo, quod datur infantibus, & quo dicit eos regenerari & mundari ab omni labe peccati. Agnovit igitur infantes peccatum aliquod habere.

Obj. 2. Origenem in lib. 5. comment. in Epist. ad Rom. ubi dicit, 1. Mundum, in quem Apostolus ait peccatum intrasse, esse terrenos & carnales homines, 2. Mortem, quæ in omnes homines pertransiit, non esse mortem corporis, sed mortem peccati, quæ non per propagationem, sed per imitationem in omnibus hominibus grassata est. 3. Non omnes homines, sed solum multos unius delicto peccatores effectos esse, 4. Christum ad vitam plures reduxisse, quam Adamus ad mortem. 5. Adamum esse formam futuri, quia homines inobedientiæ Adami formam sequentes, effecti sunt peccatores. R. ad 1. & 2. Origenem non litteraliter, sed allegoricè, quod ipsi familiare est, Apostolum locis illis interpretari. R. ad 3. Apud Origenem aliud esse, peccasse, & aliud peccatorem esse: nam lib. citato p. 348. sic loquitur: *Peccatores quomodo multi & non omnes videantur, cum idem Apostolus dicat, quod omnes peccaverunt? Debemus ostendere aliud esse, peccasse, aliud, peccatorem esse. omnes enim potest fieri ut peccaverint, etiam si sancti fuerint, quia nemo mundus à sorde, ne si unius diei fuerit vita ejus. peccatores autem facti non omnes, sed multi.* Ubi per peccatorem Origenes videtur velle intelligi, non eum omnem, qui aliquando peccavit, sed eum solum, qui peccavit voluntate propria. Itaque secundum Origenem, omnes quidem peccaverunt in Adamo pro omnibus peccante, & tamen non omnes peccatores effecti sunt, quia non omnes propria voluntate prævaricati sunt, nec prævaricationi Adæ, quæ fuit communis omnium prævaricatio, proprias prævaricationes addiderunt, ut patet in infantibus ante rationis usum mortuis, & in adultis, qui nunquam tota vita, Deo illos specialiter præservante, in mortalem culpam lapsi sunt.

R. ad 4. Origenem hoc dicere hoc sensu, quod Ada-

mus peccato suo inficiat eos tantum, qui ab illo per viam naturalem descendunt: Christus verò non solum justificet eos, quos Adamus peccato suo inficit, sed etiam ipsum Adamum, postquam lapsus est & peccator effectus, justificavit. Sic ergo, inquit pag. 346. *plures Christus reducit ad vitam, quam Adam ducit ad mortem, quia etiam ipsum Adam, qui ceteris causa extitit mortis, Christus revocavit ad vitam.*

R. ad 5. Origenem, cum dicit homines formam inobedientiæ Adami sequentes, seu, quod idem est, homines propria voluntate peccantes in similitudinem prævaricationis Adæ, effici peccatores, non negare quod in eodem Adamo ipsius Adami voluntate peccarint. Imò utrumque expressè asserit, ut patet ex Respons. ad 3. & ex pag. 345. ubi hæc habet: *Aut magis simpliciter accipiendum videtur, & similitudo prævaricationis Adæ absque aliqua discussione recipiendæ; ut hoc sermone omnes, qui ex Adam prævaricatore nati sunt, judicari videantur, & habere in semetipsis similitudinem prævaricationis ejus, non solum ex semine, sed ex institutione suscepta.* Quibus verbis clare agnoscit duplicem similitudinem prævaricationis Adæ, unam scilicet, quæ contrahitur ex semine, seu per naturalem generationem, & quæ proinde reperitur in omnibus & singulis, qui naturaliter generantur, & est originale peccatum; alteram verò, quæ ex institutione suscepta, hoc est, ex propria electione & actione contrahitur, quæque proinde non reperitur, nisi in adultis, qui libertate propria abutuntur, & abutendo imitantur prævaricationem Adami, qui magna illa, qua fruebatur, abutens libertate, se ipsum simul & posteros suos gravis prævaricationis reos constituit.

Obj. 3. Tertullianum, qui loquitur sic lib. de bapt. c. 18. *Veniant ergo dum adolescent, veniant dum discunt, dum quo veniant docentur, sicut Christiani cum Christum nosse potuerint, quid festinat innocens ætas ad remissionem peccatorum?* Et lib. de anima c. 39. *Sic & omnibus genitū deputantur, quod demonum nomen est. Adde nulla ferme natiuitas munda est, utique ethnicorum.* Hinc enim & Apostolus ex sanctificatione alterutro sexu sanctos procreari ait, tam ex seminis prerogativa, quam ex institutionis disciplina. Quibus verbis videtur saltem probare de filiis fidelium, quod procreentur sine peccato originali.

R. ad 1. Tertullianum ibi nihil aliud velle, quam expedire, ut baptismus parvulorum citra mortis periculum ulque ad ætatem adultam differatur, ut illum majori cum fructu recipere possint. Hanc autem parvulorum ætatem innocentem vocat, non quia nullum planè peccatum habet, sed quia non habet peccata actualia seu personalia. Idem respondet pro S. Chrysostomo S. Augustinus lib. 1. contra Julianum c. 6. *Peccata dixit parvulos non habere, sed propria. Unde illos innocentes merito nuncupamus, secundum id quod ait Apostolus, nondum natos nihil egisse boni, sive mali.*

R. ad 2. 1. Tertullianum ibi nativitatem ethnicorum immundam dicere, non propter peccatum aliquod, quod ipsi contraxerint, & quod non contraxerint filii parentum fidelium, sed propter superstitiones in illa usitatas. Cui enim hominum, inquit, non adhibebit spiritus nequam, ab ipsa etiam janua natiuitatis animas aucupabundus, vel qua invitatus tota illa puerperii superstitione? Ita omnes idololatria obsterice nascuntur: dum ipsi adhuc uteri infans apud idola confectis redimiti, genimina sua demoniorum candidata profitentur: dum in partu Lucina & Diana ejulatur: dum per totam hebdomadam Junoni mensa proponitur? 2. Et ita nativitatem parvulorum apud Christianos sanctam esse, quia caret ejusmodi superstitionibus, non quia Christianorum parvuli nascuntur sine peccato originali: imò quod hoc peccato infecti nascuntur, sicut & ethnicorum filii, ibidem aperte docet, dictum Apostoli sic exponens: *Quasi designatos tamen sanctificari, ac per hoc etiam saluti, intelligi volens fidelium filios, ut hujus spei pignore matrimonii, quæ retinenda censuerat, patrocinaretur: alioquin memine-*

minerat Dominica definitionis: Nisi quis nascatur ex aqua & spiritu, non introibit in regnum Dei, id est, non erit sanctus. Qua Dominica definitione significatur necessitas baptismi pro parvulis omnibus, etiam Christianorum, & consequenter parvulorum omnium nativitas in statu peccati.

Itaque juxta mentem Tertulliani, nativitas parvulorum omnium Sanctorum, tam apud fideles quam apud infideles, immunda est, quatenus parvuli omnes, tam apud fideles quam apud infideles, nascuntur peccatore & injusti: unde indigent omnes baptismo, ut ex injustis & peccatoribus fiant justis & sancti, & ita possint introire in regnum Dei. Attamen nativitas parvulorum apud Christianos munda & sancta recte dici potest; cum ex omni parte immunda sit apud ethnicos; quatenus apud Christianos per caeremonias sacras parvuli deputantur ad cultum Dei, ad sanctitatem & ad salutem aeternam; apud ethnicos vero per execrandas superstitiones deputantur ad cultum daemonum, quibus mancipantur, ad immunditiam omnem, & aeternam damnationem. Hanc esse genitricem Tertulliani mentem, amplius pater ex verbis, quae continuò subjicit cap. 40. *Ita omnis anima eo usque in Adam censetur, donec in Christo recenseatur, tandiu immunda, quandiu recenseatur; peccatrix autem, quia immunda recipiens ignominiam ex carnis societate.* Igitur ex Tertulliano omnes omnino parvuli ante baptismum immundi sunt & peccatores propter Adami peccatum.

Obj. 4. S. Chrysostomum pluribus locis, in quibus videtur negare peccatum originale. Nam sic loquitur hom. 17. in 1. ad Cor. Quid igitur faciam, inquit, propter illum (videlicet Adamum) peccato? minime propter illum. Neque enim tu sine peccato permansisti: quod si non idem peccatum, tamen aliud commissisti. Et homil. 39. in eand. Epist. Quid igitur, dic mihi, num omnes in Adam morte peccati mortui sunt? Quomodo ergo Noe vir justus saeculo suo fuit? quomodo Abraham? quomodo Job? Et hom. 24. in Epist. ad Ephes. Corruptibile nobis corpus, sed incorruptibilis anima. Ne igitur & ipsam corrumpamus. Hoc primum primi hominis peccatum fecit, quod autem post lavacrum sit, etiam animam corrumpere potest. Et hom. ad Neophitos: Vides quot sunt baptismatis largitates? Sed multis quidem videtur baptismi gratiam in peccatorum tantum remissione consistere. Nos autem baptismi honores jam computavimus decem. Hac de causa & infantulos baptizamus, quamvis non sint inquinati peccato; nempe ut eis addatur sanctitas, justitia, adoptio, hereditas & fraternitas Christi. Et homil. 10. in Epist. ad Rom. Videtur questionem non parvam habere, quod dictum est (videlicet multos ob unius inobedientiam peccatores extitisse) illo enim peccante ac mortali infecto, & qui ex eo orti sunt, eos tales esse, nihil absurdum est. At ex illius inobedientia alterum peccatorem extitisse, id quam, obsecro, congruentiam & consequentiam habet? ... Quid igitur hoc loco verbum hoc (peccatores) significat? Mihi videtur tantumdem significare, quantum illud (supplicio obnoxii ac mortis rei) quod Adam mortuo, omnes sunt mortales effecti.

R. cum S. Augustino lib. 1. contra Julianum cap. 6. negando, quod S. Chrysostomus peccatum originale aut impugnarit, aut non confessus fuerit. Et verò homil. ad Neophitos sic ait: *Venit semel Christus, invenit nostrum chyrographum paternum, quod scripsit Adam. At, obsecro, quid intelligit Chrysostomus per chyrographum illud paternum, quod scripsit Adam, & quod nostrum est, nisi peccatum ab Adam, ut morali nostro capite, commissum, quod sic fuit Adami proprium, ut etiam nostrum sit, & ita propter illud nascamur obnoxii odio Dei, & morti? Et homil. 10. in Epist. ad Rom. Quod Christo crux & sepulcrum, hoc nobis baptisma fuit, quamvis non nascamur in rebus. Ille enim carni & mortuus & sepultus est, nos autem peccato utrumque. Quibus verbis Chrysostomus, ut Augustinus observat, clare docet eos omnes, qui baptizantur in Christo, per baptis-*

mum mori & sepeliri peccato, sicut ipse Christus carni mortuus & sepultus est. Parvulos autem in Christo baptizari agnovit Chrysostomus. Parvulos igitur agnovit mori & sepeliri peccato per baptismum, proindeque eos ante baptismum habere peccatum. Et ead. homil. Liqueat quod non ipsum peccatum, quod à legis transgressione ortum est, sed illud quod ab Adam inobedientia, ipsum illud, inquam, peccatum erat, quod omnia perdebat. Ecce disertè distinguit duplex peccatum; unum, quod in nobis oritur ex propria legis transgressione, & est peccatum actuale seu personale; alterum, quod in nobis oritur ex inobedientia Adami, & est peccatum originale, propter quod ait Chrysostomus mortem regnasse, etiam antequam lex daretur. Et hom. 4. in 1. ad Cor. Deus in regenerationis lavacro mentem gratia tangit, radicale peccatum evellit. Deus igitur, juxta Chrysostomum, in baptismum non solum infundit gratiam, sed etiam evellit radicale peccatum. At peccatum hoc radicale aliud esse non potest, quam peccatum quod ab Adam, velut à radice nostra, trahimus, quo maculamur ab instanti conceptionis, & quod tam in parvulis quam in adultis per baptismum abjicitur. Nam, ut ibidem ait S. Doctor, Spiritus sanctus in baptismo, velut in fornace, recoquit ipsam (mentem,) & peccatum consumendo, quodlibet auro purius splendorem reddit. His praesuppositis,

R. ad 1. Chrysostomum ibi alloqui homines baptizatos, & proinde eos, qui immeritò causam damnationis suae rejiciebant in Adamum; cum per baptismum condonatum eis jam esset peccatum originale, & ita jam damnati non possent, nisi propter peccata, propria voluntate commissa. Immeritò igitur querebantur de Adamo, non quia nullum ab eo traxerant peccatum, quod posset esse causa damnationis; sed quia peccato quod ab eo traxerant, illis per baptismum jam condonato, non nisi propriae voluntatis vitio damnari poterant, & ipsi, si vellet, & à peccato, ut poterant, abstinere, damnationem vitarent.

R. ad 2. Chrysostomum loqui de morte peccati, non qualibet, sed irreparabili; nec negat simpliciter omnes in Adam mortuos esse morte peccati, sed solum negat omnes in Adam morte peccati irreparabiliter mortuos esse; & sic ratiocinatur. Quando Apostolus dicit omnes in Adam mortuos esse; cum loquatur de morte irreparabili seu inevitabili, intelligendus est de morte corporis, non de morte peccati, seu de morte animae per peccatum: nam si omnes in Adam irreparabiliter & inevitabiliter mortui sunt morte peccati, neque Noe, neque Abraham, neque Job, neque alii quam plurimi unquam justi fuerunt. Quod tamen falsum est.

R. ad 3. Chrysostomum sermonem habere de baptizatis, & hunc verborum illius sensum esse: In nobis baptizatis corpus est corruptibile, hoc est, necessarium corrumpendum propter moriendi necessitatem, quam primum primi hominis peccatum fecit, & quam baptismus non tollit. At in nobis baptizatis anima corruptibilis non est, hoc est, non necessario corrupta vel corrumpenda morte peccati; sed potest manere incorrupta, si velimus baptismalem gratiam diligenter conservare, & ab omni culpa gravi abstinere: sicut etiam possumus illam corrumpere, baptismi gratiam amittendo, & graviter peccando: neque enim baptismus impeccabiles nos efficit.

R. ad 4. 1. in Graeco non legi, infantes non habentes peccatum, quod fortasse trahi posset ad peccatum originale; sed legi, infantes non habentes peccata; quod proculdubio intelligi debet de peccatis actualibus & personalibus. 2. Chrysostomum hic aperte agnoscere parvulos ante baptismum esse in statu peccati, injustitiae & damnationis: cum non detur medium inter hunc statum, & statum sanctitatis, justitiae, adoptionis, &c. In quo tamen parvuli non constituuntur, nisi per baptismum. Hic igitur aperte agnoscit in parvulis peccatum originale. Disputat autem S. Doctor contra quosdam, qui negabant adultis infundi gra-

gra-

gratiam in baptismo, sed solum per condonationem extrinsecam remitti peccata actualia; quos refellit exemplo parvulorum, qui baptizantur, non ut eis remittantur peccata actualia, quibus carent, sed ut præter originalis peccati remissionem, accipiant sanctitatem, iustitiam, adoptionem, ius ad æternam hereditatem & Christi fraternitatem: nam his omnibus privantur ante baptismum, & post baptismum habent omnia: non autem habent, nec habere possunt proprio aliquo suo merito: unde superest ut habeant vi solius baptismi suscepti.

R. ad 5. quod maiorem videtur habere difficultatem, Chrysostomum nihil aliud velle, quam per unius actuale & personalem inobedientiam, non posse constitui alterum actum & personaliter inobedientem, nec negat, sed potius expresse asserit, per unius personalem inobedientiam posse alterum contrahere meritum supplicii & mortis; quod est, propter unius personalem inobedientiam perinde se habere in æstimatione morali posse alterum in ordine ad iustum supplicium iustamque mortem, ac si ipse personaliter inobediens fuisset, ac proinde propter unius personalem inobedientiam, ut nos loquimur, posse alterum constitui habitualiter inobedientem & peccatorem: habitualiter enim inobedientem & peccatorem dicimus eum, qui five propter propriam five propter alterius inobedientiam dignus est odio Dei & pœna æterna. Unde dicimus posteros Adami concipi & nasci habitualiter inobedientes & peccatores, quia propter personalem inobedientiam Adami concipiuntur & nascuntur digni odio Dei & pœna æterna. Quod non negat hoc loco Chrysostomus, sed solum negat, & cum eo negamus, propter personalem & actualem Adami inobedientiam posteros ejus concipi actualiter & personaliter inobedientes & peccatores.

Porro eodem sensu Augustinus ipse lib. 16. de Civit. c. 27. asserit peccatum originale non esse nisi improprie peccatum. *Si parvuli*, inquit, *quod vera fides habet, nascuntur non proprie, sed originaliter peccatores, &c.* Nam per peccatum proprie dictum manifestè intelligit peccatum actuale & personale, & per inobedientiam retractabile, quod propria voluntate committitur, quale profecto nec habent nec habere possunt infantes. Unde peccatum originale, quocum nascuntur infantes, nec est nec potest esse huiusmodi peccatum, & ita nec est nec potest esse peccatum proprie hoc sensu. Nascuntur igitur infantes, juxta S. Augustinum, non proprie, sed originaliter peccatores, quia nascuntur digni odio Dei & damnatione, non propter peccatum aliquod propria voluntate commissum, sed propter peccatum commissum à primo parente: nascuntur enim sine actuali & personali peccato, at non sine habituali; quia nascuntur infecti peccato primi parentis, & propter illud odio Dei & damnatione digni; vel, si vis, magis ad modum loquendi S. Doctoris, infantes nascuntur non proprie, sed originaliter peccatores, quia nascuntur, non cum actuali & personali culpa, sed cum habituali concupiscentia, ad grave vituperium & damnationem illis imputabili, non per se & ex natura sua, sed propter personalem Adami inobedientiam, cujus est effectus, & que illis tandiu moraliter inhaeret, quandiu per baptismum illis non dimittitur.

Obj. 5. Theodoretum. Nam 1. in libris hæreticarum fabularum non meminit eorum, qui negant peccatum originale. 2. Textus Scripturæ, quibus originale peccatum probatur, exponit, ut solebant Pelagiani. *Resp.* Quacumque tandem de causa peccati originalis impugnatores silentio prætermiserit Theodoretus, & quantumvis interdum Scripturæ textus, ut Pelagiani solebant, exposuerit, facile tamen ostenditur illum non aliter, quam alii Scriptores catholici senserint, de peccato originali sensisse. Nam 1. in Epitome divinorum decretorum c. 11. sic loquitur: *Divina misericordia, cum omnes homines essent sub maledicto, & peccati laqueis essent implicati, per unius iustitiam dedit omnibus salutem.* Ecce aperte docet omnes homines propter peccatum Adami fuisse

sub maledicto, & peccati laqueis irretitos. Loquitur autem de omnibus sine exceptione hominibus, ac proinde & de infantibus, qui non possunt irretiri laqueis peccati personalis, & ita censendus est loqui de peccato originali, cum ait omnes homines propter Adami peccatum fuisse sub maledicto, & peccati laqueis implicatos. Et rursus ibidem: *Cum ostendisset, unius iustitiam fuisse communis peccati salutare medicamentum, ostendit per ipsum quoque fuisse peractam mortis dissolutionem.* At obsecro, quodnam est peccatum illud commune, cujus iustitia Christi fuit salutare medicamentum, nisi peccatum, quocum nascuntur omnes homines, & quod à primo parente traxerunt?

2. Hæc habet in expositione cap. 5. Epist. ad Rom. *Dicit itaque divinus Apostolus, quod cum Adam peccavisset, & mortalis propter peccatum factus esset, utrumque ad genus pervenit, id est, peccatum & mors. Ad omnes enim mors pervasit, quatenus omnes peccaverunt: non enim propter primi hominis peccatum, sed propter suum unusquisque mortis decretum suscipit.* Quid clarius & expreſſius dici potest pro peccato originali? Juxta Theodoretum, Adamo peccante, & propter peccatum debitum mortis incurrente, utrumque, nempe peccatum & mortis debitum, pervasit ad genus humanum. Necessitas moriendi pervasit ad omnes, quia omnes peccaverunt, hoc est, quia omnes nascuntur infecti peccato sibi proprio & intrinseco: unusquisque enim decretum mortis suscipit, non propter peccatum primi hominis, sed propter peccatum ex primi hominis peccato derivatum in omnes ejus posteros, quorum unicuique inexistit, & in unoquoque permanet, donec per baptismum deleatur; vel, si vis, non propter primi hominis peccatum, quia fuit proprium ejus peccatum, sed quia fuit commune generis humani peccatum, quod ita toti generi commune est, ut proprium fiat & suum unicuique, hoc ipso quod via naturali generatur.

Hanc autem esse Theodoreti mentem, patet ex eo quod manifestum sit eum non loqui de peccato actuali, tum quia non omnes qui mortis decretum suscipiunt, peccant, aut etiam peccare possunt peccato actuali & personali, ut patet in infantibus, ante adultam ætatem morientibus; tum quia Theodoretus expresse docet peccata actualia non præcedere, sed subsequi decretum mortis: docet enim hoc loco, Adamum peccando mortalem effectum esse, mortalem effectum generasse homines mortalem habentes naturam, proindeque indigentem multis, in quorum usu debita moderationis limites excedere pronum nobis est, & excedendo peccamus actu & personaliter: unde juxta Theodoretum, naturæ nostræ mortalitas causa est vel occasio peccatorum nostrorum actualium & personalium. *Is, inquit, deceptus mandatum transgressus est... cum mortis decreto factus fuisset obnoxius, ita Cain, & Set, & alios genuit. Hi verò omnes, utpote ex eo geniti, habebant mortalem naturam. Eiusmodi autem natura multis indiget, & cibo, & potu, & indumentis, & habitatione, & diversis artibus. Eorum autem usus sæpè ad mediocritatis exuperationem incitat. Mediocritatis autem exuperatio peccatum generat.*

ARTICULUS II.

Utrum posteri Adami verè & proprie peccaverint in ipso Adamo peccante contra preceptum de non comedendo fructu.

RESPENSIO I.

Posteri Adami verè & proprie peccaverunt in ipso Adamo peccante contra, &c.

Prob. 1. autoritate Apostoli, qui videtur hoc manifestè docere Rom. c. 5. cum ait: *In quo omnes peccaverunt.* Nam verba Scripturæ accipienda sunt in sensu proprio & obvio, nisi gravis aliqua ratio, vel

alia